



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas

Reding, Augustin

[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.

§. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38717

animi semper laborant: sed quemadmodum in corporibus nunc ille, nunc contrarius morbus grassatur; unde contraria, pro vario morborum genere, medicamenta sunt adhibenda: ita mentes successivè contrariis erroribus, & vitijs subjacent, quibus modò istis, modò illis legibus occurrendum est.

132. Habet quidem plurima incommoda legum mutatio, si cum levitate, aut imprudentia conjuncta sit, non per necessitatem quasi extorta. Quamobrem, ut docet S. Thomas 1. 2. *quæst. 97. art. 2.* non statim, ut seise melius aliquid offerit, quam quod à lege intendebatur, immutanda est, sed opus est, ut hanc mutationem aut maxima necessitas postulet, aut evidentissima utilitas. Verùm, quæ ratio est, ut, quod ad bonum publicum institutum est, si perniciosum evadat, etiam contra bonum publicum retineatur.

133. Hincmarus Archiepiscopus Rhemenfis antiquæ disciplinæ acerrimus propugnator, & in defendendis Gallicanis libertatibus, à plebiscitis scriptoribus in exemplum adductus, est absque necessitate mutari non debere, quæ semel in concilio status, vel iudicata sūt, opusculo sic inscripto, contendat, diffiteri tamen non potest, quin occurrente necessitate, mutatione opus sit, quod quamplurimorum Summorum Pontificum testimonijs ibidem confirmat. Inter alia refert ex epistola 95. Leonis I. quæ est ad Rusticum verba sequentia: Sicut quadam sunt, quæ nullâ possunt ratione convelli, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione atatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari.

134. Egregiè admodum explicat Summi Pontificis in temperandis Canonibus auctoritatem Geladius I in ea epistola, quæ est ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam constitutos cap. 1. *Necessaria rerum dispensatione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine convenimur; sic Canonum paternorum Decreta librare, & verò Præsulum, Decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut, quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesijs relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus; quò nec in totum formam veterem videamur excedere regularum, & reparandis militiæ Clericalis officijs consulamus.* Et cap. 2. *Præcis igitur pro sui reverentia manentibus Constitutis, quæ, ubi nulla vel rerum, vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodiri, eatenus Ecclesijs, quæ vel cunctis sunt privatis ministris, vel sufficientibus usque ad eò dispensatæ servitij, ut plebibus ad se pertinentibus Divina munera supplere non valeant, tam instituendi, quam promovendi Clericalis obsequij, sic spatia dispensanda concedimus, ut si quis, &c.*

135. Quo circa cum omnia, quæ in condendis antiquis legibus intercesserunt, ad substituendas novas, consentiant, scilicet auctoritas Conditoris, utilitas subditi, facultas parendi, aliæque conditiones, cur robore carebit, quod de novo præcipietur? Quicumque igitur Decreta omnia, quæ nova sunt, solius novitatis obtentu repudiaret, non solum iniquus esset, sed & desperare videretur. Sane qui Ecclesiam non eandem hodie credit esse,

se, quæ Apostolorum temporibus extitit, aut eadem auctoritate præditam negat, vel eodem spiritu gubernetam, cum Luthero, & Calvinò inter hæreticos censendus est. Numquid enim potestas à Christo Ecclesiæ collata certis temporum spatij definita est? Numquid se cum Ecclesia usque ad consummationem sæculi futurum non pollicitus est? Numquid hominum mores, quibus, ut diximus, accommodandæ sent leges, varijs mutationibus non subjacent? Numquid quod hominibus certo modo affectis prodest, illis non obest contrario modo dispositis? Itaque qui manus Ecclesiæ ligare contenderet, ne medicamentis contrariis filiorum suorum morbos, novis legibus novos abusus curaret, is tanquam Republicæ Christianæ hostis habendus esset.

Nec inconstantiæ accusanda est Ecclesia, cum propter evidentem necessitatem, aut maximam utilitatem, abrogatis prioribus Canonibus, novos condit; hæc enim mutatio non in Ecclesia fit, sed in hominibus Ecclesiæ subditis. Nam & Deus ipse, à quo Ecclesia omni tempore regitur, licet immutabilis sit, leges mutavit, Novumque Testamentum Veteri substituit. Idem semper est finis, sed media non semper eadem, quia homines non in eodem semper statu permanent.

Hanc, exigente necessitate, posse mutationem fieri, sanus nemo diffitebitur: sed cuius est, de illa necessitate decernere, ac, utrum innovandum sit aliquid, judicare? Hic est unicus, aut præcipuus controversiarum de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, pro ut communiter describuntur,cardo diligenter inspiciendus.

DISQUISITIO IX.

Quanta sit Romani Pontificis auctoritas circa Patriarchalia, & Archiepiscopalia, & consequenter Episcopalia jura?

§. I.

EX horum quoque descriptione patere potest vel ampliatio, vel coarctatio libertatis à Gallicana Ecclesia erga Pontificam auctoritatem præsentis. In quem finem oportune præmittitur distinctio, ac distributio dignitatum Ecclesiasticarum ab Authore tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 1. cap. 2. verbis sequentibus eleganter expolita. Nempe Christus ascensus in caelum, prædicare, baptizare, & docere per universum mundum omnibus Apostolis præcipit his verbis Mat. ult. *Data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.* Verùm quamvis quilibet Apostolus posset in qualibet mundi parte ea omnia officere: tamen ex communi consuetu-

su, & ex sancti Spiritus instinctu diviserunt sibi orbis terrarum provincias, ac in quam quisque profecturus esset, decreverunt, ut sic ordo servaretur, & facilius adimpleretur Psalmistae vaticinium. In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum, Psal. 18.

2. Joannes Gersonius ita factam suspicatur inter ipsos etiam Apostolos divisionem, ut non posset quilibet in quemlibet uti sua potestate, sed tantum in assignatam sibi provinciam, ut jam tunc Monarchicum regimen exerceceretur. Et forte, inquit Gersonius de potestate Ecclesiastica confid. 9. quoad usum, vel exercitium potestatis Ecclesiasticae sic evenit ipsis etiam Apostolis, & discipulis, quod post immediatam concessionem utriusque scilicet potestatis, & usus, factam à Christo, postmodum crescente numero fidelium, fuit ad tollendum schisma, & ad exemplar dandum posteris. Limitatio facta talis potestatis quoad usum, & hoc per Petrum Summum Pontificem de consensu totius Ecclesiae primitivae, vel generalis Concilij, ut non quilibet posset in quemlibet uti potestate sua, attentà Christi ordinatione primarià, quã voluit, Ecclesiam suam regi principaliter sub uno, & ab uno Monarcha, sicut est una fides, unum Baptisma, & una Ecclesia unitate Capitis tam primarij, quàm Vicarij, quoniam iste est optimus Principatus praesertim in spiritualibus ad conservationem unitatis fidei, ad quam obligantur omnes. Non tamen adeò scrupulose observata videtur ab ipsis Apostolis illa provinciarum distinctio, ut, si qua sese offerret occasio, non susciperetur ab uno curailiorum, qui videbantur ad alterum pertinere, dummodò nulla hinc oriretur perturbatio. Itaque Paulus postmodum convertendis praecipue Gentibus, destinatus, circa Judaeos plurimum laboravit, similiter & Petrus, qui Judaeorum peculiarem sibi curam assumpserat, praedicavit etiam Gentibus, atque apud eas Primatus sui Cathedram constituit.

3. Quoniam autem Apostolis nec ubique adesse, nec semper vivere datum fuerat, necesse fuit, ut potestatem suam cum alijs communicarent, qui Apostolica munia, defunctis illis, aut absentibus, obirent: Hujus rei gratiã, inquit Paulus ad Tit. 1. reliqui te Creta, ut ea, quae desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Sed quae in Apostolis plenissima, & unita fuit, inter alios est divisa pro Apostolorum arbitrio, à quibus alij uni tantum civitati praepositi sunt, alij pluribus; alij plebi tantum, alij etiam Pastoribus; unde orta creditur Patriarcharum, Exarchorum, Primatum, Metropolitano- rum, & Episcoporum varietas: quae eò pertinet, ut ordinate cuncta in Ecclesia gerantur, quemadmodum de divisione inter Apostolos ipsos facta notavit Gersonius.

4. Limitatam ab Apostolis Episcoporum jurisdictionem fuisse, colligunt ex illis B. Pauli ad Titum verbis S. Joannes Chryostomus ejusque interpretationum sectator Theophylactus ista sunt S. Chryostomi verba homil. 2. in Epist. ad Titum. Et constitueres, inquit, per

civitates Presbyteros. Episcopus hic intelligi vult, quemadmodum alias saepius diximus: ut ego tibi constitui, si quis est sine crimine. Per civitates; inquit. Neque enim profectò volebat Insulam totam uni viro permitti; sed unicuique propriam curam, ac sollicitudinem indicere.

5. Mirabilem illum variorum graduum Ecclesiasticorum ordinem elegantissime describit S. Leo Epist. 84. cap. ult. Est dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis: quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quadam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praemineret, de qua forma Episcoporum orta est distinctio, & magna ordinatione provium est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem susceperunt amplio- rem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae curae confluere, & nihil usquam à suo Capite disjiceret.

6. Epistola verò 89. docet, non solum Ecclesiae curam per varios gradus ad B. Petrum tanquam ad Caput reduci: sed & ab illo Capite per Dei dona in omne corpus Ecclesiae manare; Hujus, inquit, muneris sacramentum ita Deus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium Summo principaliter collocaret: & ab ipso quasi quodam Capite, dona sua velit in corpus omne manare, ut exortem se mysterij intelligeret esse Divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Locum hunc clarè interpretatus videtur Maucierus 2. p. lib. 2. cap. 15. S. Petrus à Christo Domino tanquam Vicarius ejus, ac Princeps totius Ecclesiasticae Curiae, & orbis, solus potestatis juridicae claves accepit; ut in persona totius Ecclesiae, id est, omnium Pastorum, & Praetorum Ecclesiasticorum, ut, quidquid jurisdictionis Ecclesiasticae à quocumque Pastore exerceretur, id totum S. Petro supremo Ecclesiae Principi, ac visibili Capiti acceptum referretur, ab ejus auctoritate in totum corpus Christi Domini, quod est Ecclesia, visibile diffunderetur. Vide S. Bonaventuram cap. 12. referendum.

7. Non exstant quidem antiqua monumenta, quibus doceamur, quonam tempore, aut quonam modo fuerit facta prima distributio Dioeceseon, aut Provinciarum Operarijs Evangelicis, qui convertendis ad fidem, aut jam convertis plebibus praefecti sunt. Ordinem tamen à B. Petro observatum eum fuisse, quem secuti sunt ejus successores, vel illi simillimum, prudens quisque sibi facile suadebit. Eximium ejus exstat exemplum in lib. 12. Epist. 15. S. Gregorij Magni, qui colapsam in Anglia Religionem, cum per S. Augustinum illuc missum restituisset, regendi populi fidelis formam praescripsit, & varia officia instituens, unicuique suam contulit auctoritatem, ut scilicet S. Augustinus ceteris omnibus praeset; Archiepiscopus Londoniensis duodecim sub se haberet Episcopos, Episcopus Eboracensis totidem, si modò tum ab illa civitate, tum à circumvicinis fides susciperetur, ac numerum illum Praetorum, X x x 3

nume.

QUISITIO

3. 1. Joannes Gersonius ita factam suspicatur inter ipsos etiam Apostolos divisionem, ut non posset quilibet in quemlibet uti sua potestate, sed tantum in assignatam sibi provinciam, ut jam tunc Monarchicum regimen exerceceretur. Et forte, inquit Gersonius de potestate Ecclesiastica confid. 9. quoad usum, vel exercitium potestatis Ecclesiasticae sic evenit ipsis etiam Apostolis, & discipulis, quod post immediatam concessionem utriusque scilicet potestatis, & usus, factam à Christo, postmodum crescente numero fidelium, fuit ad tollendum schisma, & ad exemplar dandum posteris. Limitatio facta talis potestatis quoad usum, & hoc per Petrum Summum Pontificem de consensu totius Ecclesiae primitivae, vel generalis Concilij, ut non quilibet posset in quemlibet uti potestate sua, attentà Christi ordinatione primarià, quã voluit, Ecclesiam suam regi principaliter sub uno, & ab uno Monarcha, sicut est una fides, unum Baptisma, & una Ecclesia unitate Capitis tam primarij, quàm Vicarij, quoniam iste est optimus Principatus praesertim in spiritualibus ad conservationem unitatis fidei, ad quam obligantur omnes. Non tamen adeò scrupulose observata videtur ab ipsis Apostolis illa provinciarum distinctio, ut, si qua sese offerret occasio, non susciperetur ab uno curailiorum, qui videbantur ad alterum pertinere, dummodò nulla hinc oriretur perturbatio. Itaque Paulus postmodum convertendis praecipue Gentibus, destinatus, circa Judaeos plurimum laboravit, similiter & Petrus, qui Judaeorum peculiarem sibi curam assumpserat, praedicavit etiam Gentibus, atque apud eas Primatus sui Cathedram constituit.

numerus fidelium exigeret. Nec presenti tantum necessitati occurrit; sed & futurum regimen disposuit, puta Londoniensem Archiepiscopum à Synodo propria consecrandum, Eboracensem Londoniensi non cessurum, sed priorem fore, qui prius fuisset ordinatus: communi utriusque consilio generalia illius Christianitatis negotia gerenda. Ut autem nunquam non meminissent, à quo fonte profuisset illorum autoritas, voluit, uterque à Sede Apostolica pallium acciperet.

8. Aliud habetur exemplum in *Capitulari Gregorij II. art. 3* ubi Martiniano Episcopo, Georgio Presbytero, &c. in Bavariam missis ita præcipit; *Ut consideratis locorum spatijs, juxta gubernationem uniuscujusque Ducis Episcopia disponatis, & subjacentia singulis Sedibus terminetis. Et si tres, aut quatuor, vel majoris numeri vise fuerint constituta Sedes, reservato præcipue Sedis loco pro Archiepiscopo referendo, adhibito trium Episcoporum conventu, probabiles fide, ac bonitatem, & erudites sanæ doctrinæ viros ordinatis Antistites ex auctoritate B. Petri Apostoli, & in subsequentis vigoris tradita dispensatione locis eis traditis collocantes.* Quibus præsuppositis, sequentia in rem præsentem videntur discutienda. Primum est. *Qualiter dignitas & auctoritas Ecclesiarum Patriarchalium à B. Petro, ejusque Successoribus orta sit? Secundum; Qualiter Primates, & Metropolitanæ in Gallia præsertim, suam à Summo Pontifice auctoritatem traxerint?*

§. II.

Ecclesiarum Patriarchalium dignitas & auctoritas ostenditur orta fuisse à B. Petro, ejusque Successoribus cum debita ac perpetua ab his dependentia.

ARGUMENTUM I.

Desumptum ex Actis primævæ Ecclesiæ, imò ipsius Christi Domini, deductis ab authore *tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 8. cap. 3.*

9. **N**am Christum, antequàm ex hoc mundo proficisceretur, nullam Parochiarum, Dioceseon, Provinciarum, Exarchatum, vel Patriarchatum distinctionem constituisse, ex tota Evangelij serie colligitur, præsertim ex verbis illis, quæ in cælam profecturus ad Apostolos habuit *Matth. ult. Euntes docete omnes gentes, quæ indistinctam, & illimitatam missionem continent; licet fortè Apostolis formam præscripserit, juxta quam disponendi essent Pastorum gradus & officia, quod cuncta suavius administrarentur & utilius, effectque Ecclesia hostibus suis terribilis ut castrorum acies ordinata.* Amplissima erat potestas omnium Apostolorum, prout exigebat pro illo tempore rerum status, cum nimirum non tam regenda, quam efformanda erat Ecclesia. Tunc enim dispergendi erant per to-

tum orbem Pastores, qui oves undique ad Christi caulam adducerent; Piscatores, qui collectis undique piscibus, Ecclesiæ sagenam implerent; venatores, qui ubique venantes, viventem prædam in domum Dei reportarent.

Verùm cum maxima extitit fidelium copia, constituenda fuit totius regiminis Ecclesiæ formæ. Quomobrem sicut in exercitu Imperator seu Dux unicuique Officiali præsertim primario, suas partes, suamque munus assignat, imò & dignitatem tribuit, nisi jam id a Principe præstitum fuerit: ita B. Petrus, quem suum in terris Vicarium & supremum omnium fidelium Pastorem Christos creaverat, varias dignitates Ecclesiasticas, & officia instituit, secundum formam à Christo acceptam, vel à Spiritu sancto suggestam, ultra ea, quæ per se Salvator ipse ordinaverat.

Itaque Sedem suam in Ecclesia Romana defigens, eam cæterarum omnium Matrem, ac Magistram esse voluit, eique ultra reliquorum communem sollicitudinem, speciale reservavit Occidentalium curam. Alexandrinam & Antiochenam ad Patriarchalem dignitatem exivit, plurimarum eis Provinciarum præfecturam committens. Est ergo, inquit Gelasius I. in Concilio Romano anno 494. *prima Petri Apostoli Sedes Romana Ecclesiæ, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid ejusmodi.* Secunda autem Sedes apud Alexandriam B. Petri nomine à Marco ejus Discipulo & Evangelista consecrata est, ipseque à Petro Apostolo in Ægyptum directus verbum veritatis prædicavit, & gloriosam consummavit martyrium. Tertia verò Sedes apud Antiochiam ejusdem beatissimi Petri nomine habetur honorabilis, eò quòd illi, præquam Romam venisset, habitavit, & illic primum nomen novelle gentis exortum est. Baronius, & alij putant hæc ad verbum desumpta ex alio antiquiori Concilio habito sub Damaso anno 382. Similia etiam habet Nicolaus I. in respons. ad consulta Bulgarorum cap. 92.

ARGUMENTUM II.

Ex attestacionibus sanctorum Summorum Pontificum, petitum à prædicato Authore à n. 4.

Illarum namque Ecclesiarum fundacionem, ac exaltationem S. Petro luculentius adscribit S. Gregorius *lib. 6. Epist. 37.* quæ est ad Eulogium Episcopum Alexandrinum; *Quis enim, inquit, nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus à Petro vocaretur? cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claves regni cælorum; cui rursus dicitur: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos: Iterumque; Simon Ioannis amas me? Pisce oves meas. Itaque cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen Principatu sola Apostolorum Principis Sedes in auctoritatem convaluit. Ipse enim sublimavit Sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit Sedem, in qua Evangelium*